

IOANNES ALBERTVS VVYMPINEN-

SIS, OMNIBVS EX ANIMO, RECTEQVE PHILOSO-
phantibus. S. D.



Vanq̄ omnibus Salutem suam amantibus manifestum sit & perspicuum, Quod malorum parens, omnium calamitatum, perturbationumq̄ Princeps, humaniq̄ generis infestissimus hostis Beelzebub, à primo mundi ortu semper hucusq̄ conatus sit: tum omnē humanæ rationis noticiam e medio tollere: tum semen bonum, Quod ab Angelis & Archangelis in nos est diffusum per furias eijcere: tum dogmata discrepantia importando, hominum animos diffin- dere: tamen nostro hoc seculo multo grauius furere, hominumq̄ genus non dico conturbare, sed penitus euertere conatur, ut merito, Proh dolor, calamitosissimum appellari possit. Quod cum nos intueremur, perspeximus, nisi mox huic malo reme- dium adhibeatur, metuendum ne Impostor uoti compos fiat. Quamobrem omnes hortamur sedulo, & monemus, ut tenebras caliginemq̄ falsi & mali, pro uirili sua parte uelint ex animo & Philosophia, qua nihil humanis in rebus est præstabilius, ex turbare: omneq̄ uerum & bonum perpetuo propugnare: tum arbitror futurum ut diaboli regnum omnino disturbetur & labatur. Qua in re si se prudentes & strenuos exhibuerint, habebunt ipsum Deum ductorem: me uero Comitem indefatigabilem. Ut autem certiores de me possitis esse, ecce uobis hic propositiones de fine Philosophiæ exhibeo: Quas ut diligenter, & ad rectam, tanq̄ perpendiculum, normam examinetis moneo: Quod si quædam fuerint commixta, Quæ uidebuntur & erunt falsa aut mala, expungatis: prius tamen me eorum monentes, ut & ego idem faciam, & postea maiori studio & diligentia, quæ restant mihi tractanda, proponam.

Propositiones de fine Philosophiæ.


1. **C**um cuiusuis & artis & Doctrinæ, unus sit ultimus, ad quem omnia artis uel disciplinæ referantur præcepta, finis: Duo autem Philosophiæ fi- nes à Philosophis & re & uerbis discrepantes, cõstituti inueniantur: Quorū alter sit mortis meditatio: alter uero in animi tranquillitate positus: Plures autem uno Philosophiæ fines esse nequeant, perfectissimū autem quodq̄ in quauis Doctrina, finis semper existat: Animi uero tranquillitatē mortis meditationi præstare, rectè Philosophantes sua sponte fateantur: nihil præterea liceat in tota Philosophia inueniri, Quod conferri cū animi tran- quillitate possit: hanc ob rem non mortis meditationem, sed animi tranquillitatem, ultimum Philosophiæ finem esse, arbitramur.
2. Mortis tamen meditationem, cum rectæ rationis dominium præ se ferat, & à quibusdam pro ipso fine sit posita, ab ipso uero fine non procul disium- ctam, existimamus.
3. Hominis autem animus, cum partim rationis, quatenus æstimatricem sortitus est potentiam, sit particeps: partim rationis, quatenus tum animosita- tem, in qua irarum ardor consistit, tum cupidineam uim possidet, expers: inueniaturq̄ in ipso, nisi aliud alio rectè conuenienterq̄ subiiciatur, bellum intestinum: finem Philosophiæ appetenti, cum primis certè partim rationis, conciliatio est suscipienda & introducenda.
4. Cum uero & alia hominis restet approbata partitio, quæ sit in anima seu spiritum, animum, & corpus: uideatur hæc à superiori nō nihil discrepare: ta- men nō in re diligentius intui, cum æstimatrix pars nihil aliud, quam earum, quæ in homine sunt facultatum, intelligentiæ uel iudicioq̄ pollen- s, ordinatio: eam ob causam idem cum spiritu, præ- eatur, sit: animum autem idem cum animositate: & corpus cum cupiditate, ob facultatum consensum opinemur esse: unum idemq̄ uelle, uerbisq̄ solummodo non re ipsa partitiones animi discrepare statuimus.
5. At animositas sibi relicta, cum equi sit instar ferocis & indomiti, ea coq̄ impetu sursum deorsum rapiatur: cupidinea uero uis, molliter ac delicatè, in omnem uoluptatum eluuiem, præcipites agat homines: eam ob causam horum aliquo, regnum in animo obtinente, tranquillitati locus non sit, motusq̄ inordinati omnino inueniantur: efficitur æstimatricem animi partem regnum in homine obtinere debere.
6. Cum autem id quod præst, non possit rectè officij sui munere fungi, anteq̄ & seipsum habeat cognitum: & se rectè conuenienterq̄ moderetur: æstimatricis autem partis animæ, uulgo quinque numerentur facultates, Sensus, Imaginatio, Opinatio, Intelligentia seu Cogitatio, & mens: patet æstima- tricem animæ partem non posse inferioribus præesse rectè, anteq̄ suas hæc facultates habuerit perspectas satis, atq̄ cognititas.
7. Perspectas autem fore arbitramur, si cuiusq̄ uim tenentes, qua quæq̄ res æstimanda, iudicandaq̄ sit non ignoremus.
8. Cum insuper ea, Quæ æstimanda, iudicandaq̄ proponuntur, sint partim uera, partim uerosimilia, partim credibilia, partim falsa: simile autem simili cognoscatur: uerorum autem natura sit immobilis, constans in identitate, eam ob causam æternitatis (nam hæc sola eodem semper se modo habet) sit particeps: omnes uero animi præter mentem facultates sint mobiles: consequi arbitror, mentem, immobilis cum sit, semperq̄ eodem modo, immobili- ter agat, esse uera diiudicandi & recipiendi facultatem.
9. Quatenus uero, id quod uerum est, à nobis nondum immobiliter est conceptum: sed adhuc, circa ipsius perceptionem, sensumq̄ occupati sumus: non mente, sed intelligentia cogitationeq̄ utimur.
10. Opinatio autem cum proxima sit intelligentiæ, insuper & aliquo modo ipsius sit particeps: facultas certè eorum fuerit, quæ propter ueri, quam in se uidentur habere participationem, tum uerisimilia tum credibilia appellatur.
11. Præterea cum tam uera quam falsa nos imaginari contingat, uersabitur imaginatio eatenus circa huiusmodi, quatenus à nobis de ijs nihil statuitur aut determinatur.
12. Ea autem quæ sunt in animo, prius in sensu fuisse, cum à ueteribus dicantur: statuamus sensum esse horum omnium quasi ianuam, per quam ingre- diatur: non ratione prioris sed posterioris, & indiuiduorum, quæ ob participationem uniuersalium consistunt.
13. Quod si quis hæc, & ea quæ similiter dici possunt, habuerit cognita, cum ipsum se cognoscere, & se & alia gubernare posse arbitror.
14. Cum autem solius ueri naturam stabilem, reliquorum omnium caducam esse perspexerit, hisce neglectis, uerum maximè ac solum appetet.
15. Verum insuper, cum idem sit cum bono, uno, pulchroq̄ & perfecto, quod in se iuxta Dionysium omnia habet anticipata: omnesq̄ sapientiæ & scientiæ thesauri in ipso continentur, ipsum uerum, bonum, unum, pulchrum perfectumq̄ maximè, ac solum appetet.
16. Qua in contemplatione constitutus, cum mortem meditetur: mors autem nihil aliud sit quam corporis ab animo & animi à corpore separatio: du- plex præterea sit mors uoluntaria & naturalis, utramq̄ mortem meditandam, cum primis tamen uoluntariam, arbitramur.
17. Quod si animam à corpore per uoluntatem separauerit, & ab omnibus rebus externis abduxerit, tum Philosophiæ finem adeptus fuerit.
18. Mortis ergo meditatio sit Philosophiæ scopus: finis uero animi tranquillitas.

M. D. LXI.
j 5. 6 j

IOANNES ALBERTVS VVYMPINENSIS

AS OMNIBVS EX AMO, RASTIENSIS

1569



Unde omnibus... (Faint Latin text, likely a preface or introductory section of a work.)

V. Populionis hinc I. V. Populionis

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

... (Faint Latin text, possibly a title or chapter heading.)

M. D. LXI

A. 1569